Atq; de his certius edocta Altas sua, ulterius super hoc negotio deliberatura, ac ita se resolutura est, ut in ijs, quae ad Christianitatis commodum, salutem, et incrementum, ut potè quorum Alti suae, uti debet, praecipua cura est, pertinere, ac cum securitate aliqua fieri posse iudicabit, Christiam Imperatoris officio haud defuisse uideri queat.

Non dubitat autem Altas sua, quin Sanctus Dnus Pontifex, necnon caeteri confoederati, facilè aestimaturi sint, Altem suam in hoc grauissimo negotio omittere non posse, quin non solum Altis suae fratrum charissimorum Seremissimorum Archiducum Ferdinandi et Caroli &c ut quibus res haec cum Alte sua communis est, sed et Regnorum ac prouintiarum suarum hereditariarum, quin etiam s. cum haec ferendis immensis illis et continuis belli sumptibus, quj ad hanc rem forent necessarij, nequaq; sufficura essent.) ipsius quoq; sacri Imperij Statuum et Ordinum consilium adhibeat.

Interim tamen Caes.a eius Altas se his, quae ad iuuandum stabiliendumq; huiusce foederis negotium, cum Christianae Reip. commodo, ac citra pactarum cum Turcharum Imperatore octennalium Induciarum uiolationem, à Alte sua praestari poterunt, haud defuturam esse pollicetur.

Et haec sunt quae Caesarea Maiestas &c.to Rmo Dno Car-

dinali in praesentiarum respondenda duxit. Cui quod reliquum est, Caesareae suae benevolentiae studia propensè defert.